

copali materia est manuum impositio quae ab Episcopo consecratore fit. Forma autem constat verbis « Praefationis », quorum haec sunt essentialia ideoque ad valorem requisita: « *Comple in Sacerdote tuo ministerii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructum coelestis unguentis rore sanctifica* ». Omnia autem haec fiant sicut per Apostolicam Nostram Constitutionem « Episcopalis Consecrationis » diei trigesimi novembris anni MCMXLIV statutum est.

6. Ne vero dubitandi praebeatur occasio, praecipimus ut impositio manuum in quolibet Ordine conferendo caput Ordinandi physice tangendo fiat, quamvis etiam tactus moralis ad Sacramentum valide conficiendum sufficiat.

Tandem quae supra de materia et forma declaravimus ac statuimus, nequaquam ita intelligere fas sit ut vel paulum negligere vel praetermittere liceat ceteros « Pontificalis Romani » ritus constitutos; quin immo iubemus ut omnia data praescripta ipsius « Pontificalis Romani » sancte serventur et perficiantur.

Huius Nostrae Constitutionis dispositiones vim reactivam non habent; quod si dubium aliquod contingat, illud huic Apostolicae Sedi erit subiiciendum.

Haec edicimus, declaramus et decernimus, quibuslibet non obstantibus, etiam speciali mentione dignis, proindeque volumus et iubemus ut eadem in « Pontificali Romano » quadam ratione evidentia fiant. Nulli igitur homini liceat hanc Constitutionem a Nobis latam infringere vel eadem temerario ausu contraire.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die trigesimo novembris, in festo S. Andreae Apostoli, anno millesimo nongentesimo quadragesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

PIUS PP. XII

Periodica 37 (1948) F. Hietl

Commentarius

1. Hac Constitutione Apostolica quoad tempus futurum dirimitur controversia, per saecula inter theologos primae notae agitata, aliis aliter sentientibus. Cardinalis van Rossum in suo libro « *De essentia Sacramenti Ordinis* » sex diversas affert theologorum de materia sacrorum Ordinum sententias.

Ex ACTIS praeparatoriis huius Constitutionis, specialiter eum facultate inspectis, et oblata speciali facultate quadam publicandi, haec asserimus.

Initio huius saeculi quaestio de ritibus essentialibus Sacrorum Ordinum tractata fuit in Commissione Pontificia ad praeparandum Codicem Iuris Canonici. In animo fuit inserere novo Codici Iuris specialem canonem de iterandis aut supplendis ritibus, in Sacra Ordinatione omissis aut male factis. Tenor huius canonis fuit hic:

§ 1. Si unus sit ritus essentialis sacrae Ordinationis et hic praetermissus fuit aut modo dubio positus, integra ordinatio iteretur absolute vel sub conditione.

§ 2. Item, si plures ritus sint certe vel probabiliter essentialiter, et omnes fuerint praetermissi vel modo dubio positi.

§ 3. Si vero plures ritus sint certe vel probabiliter essentialiter, et unus tantum fuerit praetermissus vel modo dubio positus, solus ritus defectuosus repetendus est vel absolute vel sub conditione, si exinde ordinatio evadit certe valida; secus, integra ordinatio repetenda absolute vel sub conditione.

2. De huius canonis re et forma membra Commissionis non fuerunt unius sententiae, sed graves inter eos ortae sunt dissensiones. Nihilominus in sequenti Schema-

te idem canon examini Commissionis denuo fuit subiectus, adnexas tamen habens nonnullas notas ex quibus elucet: aliquos Consultores proposuisse canonem alterius tenoris, scilicet: « *Si in sacra ordinatione quid essentialitatem omittitur fuerit vel modo dubio positum, integra ordinatio iteretur absolute vel sub conditione* ». Aliis vero placuisse videtur, canonem propositum ex toto supprimi. Omnes fuerunt in Voto unanimi: ut S. C. S. Officii tandem aliquando finem imponeret tantae opinionum diversitati circa partes essentielles sacrorum Ordinum, diversitati, quae tot turbaret conscientias neque honori esset Ecclesiae. Praeses Commissionis, Cardinalis Gasparri, monuit: Sacram Congr. S. Officii sine diuturnis studiis desiderio Commissionis satisfacere posse mediante hac simplici ratiocinatione: per multa saecula in Liturgia Romana ritus soli ad ordinationem adhibiti fuerunt impositio manuum cum oratione, quae nunc habetur initio Pontificationis. Hoc factum historicum a nullo negari potest. Hoc supposito, si quis dicere vult: hodie essentielles ritus ordinationis esse alios, duo admittere debet: 1) Ecclesiam aliquo ritu, qui fuit certo sufficiens tempore praeterito, auferre posse vim consecrativam, ut eam attribuat alteri ritui; 2) Ecclesiam hac sua potestate revera esse usam.

Alii utrumque negant; ideo tenent: hodie eosdem ritus esse essentielles qui fuerint essentielles olim. Alii utrumque admittunt. Unde habetur diversitas opinionum circa ritus essentielles. Sed omnes admittunt et debent admittere: Ecclesiam retinere et conservare semper facultatem, vi cuius possit hodie facere quod fecit ante saecula. Quapropter, si hodie Sancta Sedes decerneret (« declarat et statuit », quomodo fecit in aliis casibus): ritus essentielles esse eos ipsos qui fuerunt olim, omnes debent esse contenti et acquiescere, hac sola cum differentia, quod aliis hoc decretum *declaret* tantummodo (« declarat ») *hoc quod est*; aliis vero idem decretum *resituat* (« statuit ») *rem in statu quo fuit antea*.

3. Haec autem Praevidis ratiocinatio non omnibus Commissionis membris satisfecit. Praeses vero, ut omnium votis satisficeret, Schedam, in qua principales de essentia Ordinis quaestiones notaverat, immediate ad Summum Pontificem, Pium X, dedit. Tenor harum quaestionum fuit hic:

- 1) *Quales fuerunt partes essentielles consecrationis episcopalis et aliorum ordinum primis Ecclesiae saeculis?*
- 2) *Quales sunt hodie de hac quaestione diversae opiniones theologorum, et quale est fundamentum theologicum propter quod facta mutatio iustificetur?*
- 3) *Quomodo potest solvi haec controversia, determinando partes essentielles Episcopatus, Presbyteratus et aliorum Ordinum tum maiorum tum minorum?*
- 4) *An et quae caeremoniae non essentielles Ordinationis, si fuerint omissae, debeant repeti « de iure constituto et de iure constituendo »?*

Summus Pontifex Pius X has quaestiones ad Supremam S. C. S. Officii transmisit atque mandavit, ut examinarentur et solverentur.

Haec ante plus quam 40 annos facta sunt; his vero tandem diebus per Constitutionem Apostolicam « Sacramentum Ordinis » diei trigesimi novembris anni MCMXLVII obtentum est quod tunc temporis Commissio Pontificia unanimi voto petiit, ut scilicet tandem finis imponeretur tantae opinionum diversitati circa partes essentielles sacrorum Ordinum, quae diversitas tot turbaret conscientias neque honori esset Ecclesiae.

...

4. *Constitutio inscribitur*: « De sacris Ordinibus Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus ». Qua inscriptione obiectum Constitutionis accurate determinatur et circumscribitur; agitur tantummodo de tribus Sacris Ordinibus Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus. Iuxta terminologiam, hodie usitatam, etiam « Subdiaconatus » inter ordi-

nes sacros computatur; nihilominus subdiaconatus hac Constitutione non comprehenditur; multo minus comprehenduntur ordines minores. Ideo ex hac Constitutione nihil deduci potest relate ad quaestionem controversam, utrum Subdiaconatus vel etiam Ordines minores participant in ratione « Sacramenti Ordinis », an sint solummodo aliquod « sacramentale » (cfr. can. 1144) iuris mere ecclesiastici. Neque Constitutio quidquam definit circa materiam et formam horum ordinum. Omnes hae quaestiones manent in statu, in quo hucusque fuerunt.

5. Ipsum obiectum Constitutionis sunt ritus essentialiter dictorum ordinum Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus; adduntur in fine paucae normae supplementariae.

Expositio (*Const.* n. 1) initium sumit a certis veritatibus dogmaticis in memoriam revocandis, scilicet: Christum Dominum esse auctorem Sacramenti Ordinis, quo datur gratia et potestas ad sacra munia obeunda; sacramentum Ordinis esse unum pro universa Ecclesia non aliter atque reliqua sacramenta; huic sacramento, a Christo instituto, Ecclesiam in decursu saeculorum non substituisse neque substituere potuisse aliud sacramentum. Provocat Constitutio ad doctrinam Concilii Tridentini: septem esse in Ecclesia Sacramenta, a Christo instituta, neque plura neque pauciora; horum omnium auctorem esse Christum; Ecclesiae vero non competere ullam in « substantiam Sacramentorum » potestatem (*Trid. sess. VII cap. 1; Denz. 844; et sess. XXI cap. 2; Denz. 931*).

Additur descriptio et declaratio quaedam « substantiae sacramentorum », ad quam descriptionem bene attendatur oportet. Substantia sacramentorum intelliguntur: « ea quae, testibus divinae Revelationis fontibus, ipse Christus Dominus in signo sacramentali servanda statuit ». Nemo unquam catholicus negaverit: haec omnia revera pertinere ad « substantiam sacramentorum ». Sed quaeri potest: an substantia sacramentorum, sic intellecta, simpliciter

identificetur cum substantia sacramentorum, prout hodie intelligitur in *sensu scholae*. Hoc sensu substantia constituitur « materia et forma », intellectis sensu systematum theologorum, et identificatur cum « *substantia ritus sacramentalis* ». Non pauci theologo sentiunt: substantiam ritus sacramentalis non solum continere « ea omnia, quae, testibus divinae revelationis fontibus, ipse Christus Dominus in signo sacramentali servanda statuit »; sed etiam viceversa: omnia quae continentur substantia ritus sacramentalis, (prout hic hodie in usu est), statuta esse ab ipso Christo Domino servanda. Alii vero theologo censent: haec duo ad invicem se non habere ut definitionem et definitum, (quae simpliciter converti possint); non constare, omnia quae hodie ad substantiam « ritus sacramentalis » pertinent et ad valorem sacramenti requiruntur ipsum Christum Dominum servanda statuisse. Secundum hos ergo theologos « substantia sacramenti » et « substantia ritus sacramentalis » non coincidunt.

6. Quae diversitas sentiendi magna ex parte fundatur in diversa doctrina de sacramentorum per Christum institutione; hi defendunt institutionem « in genere », illi institutionem « in specie », de qua doctrina plura videre est apud dogmaticos (cfr. Henricus Lennertz, S. I., *De Sacramentis Novae Legis* in genere, n. 85-88; 475-482; 516-532; et *De Sacramento Ordinis*, Romae 1947, n. 222). Constitutio Apostolica in hanc controversiam non intrat, multo minus eam dirimit, sed relinquit eam in « statu quo ante ». Nihilominus in Constitutione pluries ratio huius controversiae habetur, sed hypothetice tantum. Qui modus loquendi supponit: secundum iudicium Ecclesiae sacramentorum per Christum « institutionem in genere » hucusque non esse probatam impossibilem; nam « simpliciter impossibile » vel omnino certo « non-existentium » Ecclesia in suis documentis rationem habere non solet. Sed a tali *facto* positive asserendo Constitutio de in-

dustria abstinet; non nisi hypothetice providet, quid valeat in casu hypotheseos verificatae. Iuvat in memoriam revocare: in propositione condicionata, immediate et in se asserti solummodo realitatem et veritatem nexus inter « condicionem » et « condicionatum »; de realitate autem et veritate partium, in se sumptarum (« condicionis » scilicet et « condicionati ») nihil asseri. Utrum necne quod in iis dicitur, realitati et veritati rerum correspondeat, non ex propositione condicionata, sed aliunde decidi et probari debet. Exempla sint duae propositiones; propositio theoretica: « Si non est Deus, neque est homo »; propositio practica: « Si non es baptizatus, ego te baptizo ».

7. In tuto posita doctrina de origine, unitate, unitate sacramenti Ordinis necnon de immutabilitate « substantiae huius sacramenti », Constitutio (*Const.*, n. 2) transit ad ponderandum factum historicum: ritum externum Ordinationis, non obstante unitate et immutabilitate sacramenti, in decursu temporis alias in aliis regionibus et ecclesiis mutationes subisse, maxime via consuetudinis, adaptionis et adaptationis; (cf. H. Lennerz, S. I., *De Sacramento Ordinis*, Romae 1947, pars I. (historica), n. 6-135). Qua evolutione rituum externorum factum est ut theologis inquirere coeperint: quinam ex variis his ritibus requirantur ad essentiam, quinam non requirantur. Quae tamē sentiendi diversitas non ita debet intelligi, quasi theologis fuisset dubium, num ritus Pontificalis Romani, totus debite exercitus, dubium reliquerit de validitate ordinationis. De hoc nullum unquam fuit dubium. Sed si quaerebatur de singulis ritibus, singillatim sumptis, (quorum aliqui in casu particulari forte omissi vel male positi fuerint), tunc dubium et opinionum diversitas orta est. Ex qua opinionum diversitate et theologorum incertitudine dubia practica necnon anxietates conscientiae resultarunt, quae tangebant non solum ipsos Ordinarios et Ordinatos, sed etiam fideles, qui a sacerdotibus ita ordinatis

sacramenta susceperunt; (quibus in casibus semper fiebant recursus ad S. Sedem, quae providebat, ut omne dubium tolleretur). Incertitudinis et anxietatis testimonium, (aliquod e multis), habetur in supra n. 1-3 allegato unanimi voto Commissionis Pontificiae ad praeparandum Cod. Iur. Can. Ut haec incertitudo et anxietas removeatur et praecaveatur, Summus Pontifex novam Constitutionem Apostolicam edidit.

...

8. Antequam autem Constitutio procedit ad stabilendum quod ad finem intentum obtinendum stabiliri debuit, aliquas animadversiones praemittit (*Const.* n. 3), quae imprimis inserviant ad praeveniendas vel solvendas quasdam obiectiones.

Prima animadversio versatur circa sacramentum Ordinis tanquam signum efficax gratiae. Ponitur generale principium, quod iisdem verbis exhibetur in « Epistola Leonis XIII « Apostolicae Curiae » d. d. 13 septemb. 1896, De Ordinationibus Anglicanis, scilicet: « Sacramenta Novae Legis, utpote signa sensibilia atque gratiae invisibilis efficientia, debere gratiam et significare quam efficiunt et efficere quam significant ». Quod principium dein applicatur ad sacramentum Ordinis et declaratur: effectum qui per hoc sacramentum obtineri debeat, si in ritus maxime varios, qui diversis in regionibus et diversis temporibus occurrunt, inquiratur: sufficienter, clare et univoce significari per manuum impositionem et per verba quae eam ulterius determinant. Unde deducitur: ex natura et essentia sacramenti, utpote signi gratiae dandae et potestatis conferendae, non posse plus exigi, tamquam complementum significationis exprimendae. Ad hoc argumentum pro sufficientia significationis, petiit ex natura rei, adiungitur aliud externum, petiit ex auctoritate Ecclesiae et in particulari ex Concilio Florentino. Ecclesia enim, (et in specie Conc. Florentinum) agnovit et usque in hodiernum diem agnoscit modum Ordinationis in ritu Graecorum

usitatum, in quo sacri ordines Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus conferuntur sola manuum impositione sine traditione instrumentorum.

9. Hoc alinea attente legenti patet, et insuper ex ACTIS apparet: mentem et intentionem Summi Pontificis nullatenus fuisse, dare synopticam quandam probationem notae thesaeos: materiam et formam in his sacramentis esse solam manuum impositionem et verba eam univoce determinantia; sed mentem esse: praecavere vel solvere difficultatem, quam quis moveat ex celeberrimo Concilii Florentini Decreto pro Armenis, in quo explicitis verbis hoc statuitur: «Sextum sacramentum est Ordinis, cuius materia est illud per cuius traditionem confertur Ordo: sicut Presbyteratus traditur per calicem cum vino et patenae cum pane porrectionem; etc. ... Formula sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium etc., et sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur». (Denz. 701).

Saeculis praeterlapsis et usque in hunc diem non defuerunt theologi primae notae, qui, hoc praesertim Decreto moti et innixi, docuerint: praeter impositionem manuum etiam traditionem instrumentorum esse materiam essentialem sacramenti Ordinis; sententiam, quam duobus saeculis ante Conc. Florentinum verbis minime ambiguis defendit ipse S. Thomas. Forte miratur quis, in tota nova Constitutione nullibi vel ullum verbum fieri de hoc Decreto pro Armenis. Facile sane quivis intellegit, hoc non accidisse casu, sed deliberato consilio. Evidenter Summus Pontifex noluit sua auctoritate aliquid statuere de huius Decreti recta et genuina interpretatione, sed voluit controversiam relinquere in statu in quo est. Ex altera autem parte voluit respondere ad duas rationes, quae ex hoc Decreto petuntur pro necessitate traditionis instrumentorum: alteram, quae dicit, sine traditione instrumentorum ritum Ordinationis non univoce et sufficienter

significare potestatem et gratiam conferendam; ideo Concilium Florentinum voluisse hunc defectum significationis complere. Sed haec ratio non valet. Nam, si considerantur verba ritus Ordinationis una simul cum impositione manuum, deumpta tamen traditione instrumentorum cum verbis concomitantibus, legenti statim apparet: gratiam et potestatem omnino sufficienter et univoce significari. Hinc sine ratione ex necessitate interna concluditur: Concilium Florentinum voluisse, praescribendo traditionem instrumentorum, complere insufficientem ritus significationem. Sed et alteram rationem Constitutio Apostolica ostendit non esse genuinam, quae petitur ex Decreto et auctoritate Concilii, ut tali, non provocando ad naturam rei. Si enim haec fuisset mens Concilii, sua auctoritate praescribendi ad valorem Ordinationis traditionem instrumentorum, Concilium non potuisset sic admittere Graecos ad unionem cum Ecclesia catholica, quos selvit in sacra Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus Ordinatione non peragere traditionem instrumentorum. Unde concludit Constitutio Apostolica: neque argumento interno neque argumento externo, etiam secundum mentem ipsius Concilii Florentini, traditionem instrumentorum ex ipsius Christi voluntate requiri ad substantiam et validitatem sacramenti Ordinis. Perspicuum est: verba «substantiam sacramenti» hic intelligenda esse eodem sensu, quo initio Constitutionis (Const. n. 1) exposita sunt. Solummodo si tota haec paragraphus sub hoc respectu consideratur, scilicet tamquam praecautio et solutio difficultatis expectandae ex Decreto pro Armenis, intelligitur, cur haec paragraphus in Constitutionem Apostolicam inserta fuerit.

10. Quod vero Decreti pro Armenis sensum et auctoritatem spectat, res est et manet controversa. Neque statim quaestionis, uti iam monitum est, hac nova Constitutione mutatur. Potest ergo unusquisque in hoc Decreto in-

terpretando abundare sensu suo; nihilominus non omnes interpretationes quae proferuntur admitti possunt. Sic e. gr. dici non potest: Decretum pro Armenis omnino non esse decretum Conciliare, aut si fuerit tale, numquam obtinuisse vigorem iuridicum talis decreti, cum non fuerit debito modo promulgatum. Decretum enim, post missam sollemnem celebratam, in sollemni Concilii sessione, habita Florentiae die 22 Novembris 1439 in Ecclesia cathedrali, per Petrum Donato, Episcopum Patavii, lingua latina fuit promulgatum. Quo facto, statim monachus Armeniacus, nomine Nerses, publice legit synopsis eiusdem decreti lingua Armenica confectam; deinde sine mora Basilii ex Ord. S. Francisci, huius Synopsi traductionem latinam adiunxit. Haec Decreti publicatio facta est coram Summo Pontifice, Eugenio IV, praesentibus octo Cardinalibus, 3 Archiepiscopis, 35 Episcopis, 25 Abbatibus. — Neque admitti potest assertio: Decretum pro Armenis latum fuisse pro *universa* Ecclesia atque statuisset ut ubique tradito instrumentorum adhiberetur tamquam materia. Qua in hypothesi Ecclesia amplius non potuisset admittere Ritus ordinationis apud Graecos usitatum.

11. Restat ultima huius « ainea » propositio explicanda, scil.: « quodsi ex Ecclesiae voluntate et praescripto eadem aliquando fuerit necessaria ad valorem quoque, omnes norunt: Ecclesiam quod statuit etiam mutare et abrogare valere ». Iam forma grammaticalis (« coniunctivus potentialis ») « fuerit », insinuat: non asseri tale quid revera accidisse aut potuisse accidere, sed hypothetice declarari, quid valeret, si Ecclesia tale quid posset facere et fecisset. Asseritur solummodo: Ecclesiam, quod sua auctoritate circa ritum sacramentalem statuerit — (etiam ita, ut ad valorem fuerit necessarium) — posse eundem iterum mutare vel abrogare. Fuerunt et sunt theologi, qui censent (aliis tamen id affracte negantibus): Ecclesiam a Christo Domino revera intra certos limites talem potesta-

tem accepisse. Ipsi enim videtur, solummodo hoc modo nonnulla facta historica posse explicari, ex. gr.; cur ad valorem confirmationis requiratur chrismatio, quam Christum Dominum non instituisse neque apostolos adhibuisse ipsis certum est. Non desunt inter theologos qui censent: hac potestate Ecclesiam usam esse in Concilio Florentino, in Decreto pro Armenis statuendo: traditionem instrumentorum esse materiam sacramenti Ordinis; putant, solummodo, hac suppositione facta, allegato Decreto sine violentia posse satisfieri. De modo vero quo Ecclesia asserta hac accepta potestate usa sit, alii iterum aliter ac aliter sentiunt. Aliqui putant: Ecclesiam posse certos ritus apponere tamquam « condiciones valoris », a quibus — (etiam materia et forma sacramenti rite posita) — valorem huius vel illius sacramenti facere possit dependere. Alii, ut eadem facta historica explicant, provocant ad sacramentorum per Christum institutionem « in genere » et non « in specie » (cfr. supra n. 6). Qua in suppositione, Ecclesia, quod Christus in ritu sacramentali minus determinatum reliquit, ulterius et plene determinat ita, ut quod statuit ad valorum requiratur.

Ne ex hac theologorum controversia, quam (ut variis locis Constitutionis clare apparet) Summus Pontifex nec intrare nec dirimere intendit, in vita et praxi oriantur dubia et anxietates, pro utraque suppositione, (negante scil. et affirmante huiusmodi Ecclesiae potestatem) norma clara et certa iudicandi atque agendi statuitur.

...

12. Parte praeparatoria sic absoluta, Constitutio Apostolica (Const. n. 4) transit ad partem dispositivam, in qua primo collective pro omnibus tribus ordinibus, Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus statuitur, quid ad valorem requiratur, quid non requiratur; deinde id idem fit relate ad singulos hos ordines, singillatim sumptos.

Provocat Summus Pontifex ad supremam suam Auc-

toritatem Apostolicam, qua ad removenda et dirimenda dubia uti intendat. Intelligitur sane, cur Summus Pontifex ita loquatur et agat. Agitur enim de re summi momenti, de valore scilicet Sacramenti Ordinis, a cuius valida administratione tot sacramentorum valor pendet; nam plura sacramenta ut valide conficiat, minister indiget potestate Ordinis, in valida Ordinatione accepta. In re vero tanti momenti, cui importantissimae adnexae sunt sequelae, bonum Ecclesiae exigit, ut Summus Pontifex suprema sua Auctoritate incertitudinem et dubia auferat.

Bene ponderari debent verba, quibus in Constitutione Apostolica actus auctoritativus Summi Pontificis designatur, scil.: «declaramus ei, quatenus opus sit, decernimus et disponimus». «Declarando» Summus Pontifex solummodo denuntiat et significat *id quod iam est*, antecedenter et independenter ab eius «declaratione». Verba autem «decernimus et disponimus» denotant actum quo Summus Pontifex *efficit quod non est*, sed quo aliquid *accipit Esse* (respective: *amittit Esse*). Uterque actus, (scil. «declare» et «disponere») est actus positivus, sed alius et alius indolis atque naturae.

Actus dispositivus non ponitur nisi condicionaliter: dicitur enim «quatenus opus sit», idest ad hoc ut effectus quem Summus Pontifex producere intendit, obtineatur. Si ergo hic effectus iam adest, (ideoque ad eum obtinendum «opus non est» actione Pontificis), a Pontifice nihil «disponitur».

...

13. Id quod «declatur», (respective insuper «disponitur»), ex parte est positivum, ex parte negativum. Pars positiva respicit necessitatem et sufficientiam solius manuum impositionis, tamquam materiae, ad validam Ordinationem diaconalem, presbyteralem, episcopalem, necnon necessitatem et sufficientiam verborum, tamquam formae, quibus univoce significatur effectus sacramenti, (potestas Ordinis et correspondens gratia Spiritus Sancti). Applica-

tur ergo hoc loco principium generale, quod initio numeri antecedentis de omnibus sacramentis Novae Legis enuntiatum est, scil. haec sacramenta esse signa sensibilia invisibilis gratiae, quae eorum usu effici debet.

Utrum «impositio manuum» sit immediate institutionis Christi et pertineat ad «substantiam sacramenti», prout initio Constitutionis describitur, an sit institutionis Apostolicae, quatenus Apostoli, in executione mandati Christi, ad conferendam potestatem Ordinis elegerint impositionem manuum, medium aptum et apud tunc temporis Iudaeos in hunc finem in usu¹, ex ipsa Constitutione decidi et probari nequit, sed aliunde est probandum. Constitutione stabilitur solummodo *factum*: impositionem manuum esse materiam necessariam et sufficientem.

Relate ad *formam* vero et eius verba, (significantia respectivi Ordinis potestatem et correspondentem Spiritus Sancti gratiam) additur ulterior aliqua determinatio. Pluries enim in ritu Ordinationis occurrunt verba quae gratiam et potestatem Ordinis sufficienter significant ideoque rationem «formae» habere *possint*; statuitur Constitutione Apostolica: ex his verbis ea sola habere rationem et indolem formae sacramentalis, quae ab Ecclesia tamquam forma «accipiuntur et usurpantur»; (idest: verba quibus Ecclesia in Ordinatione peragenda utitur cum intentione adhibendi ea tamquam formam sacramentalem). In unoquoque ex tribus allegatis Ordinibus occurrunt saltem bis huiusmodi verba, quibus respectivus effectus sacramentalis univoce significetur. Unde est, quod relate ad tres hos Ordines disputaverint theologi, quibusnam verbis forma sacramentalis revera constituatur, et in responso dando in varias sententias abierint. Constitutione Apostolica pro tempore futuro dirimitur controversia: ex verbis, per se aptis, solummodo ea constituunt «formam», quae «ab Ec-

¹ Cfr. The Jewish Encyclopedia, Vol. IX, pag. 428-430, articulus «Ordination»; Num. XXVII, 18, 22-23; 20 iunctim Deut. XXXIV, 9; Num. XI, 16-17, 24-25.

22 P. HÜTH S. I.

clesia qua talia (scil. qua formam constituentia) accipiuntur et usurpantur». Quatenam sint in particulari haec verba, accurate et explicite significatur in iis, quae postea de singulis Ordinibus singillatim dicuntur. Ecclesia, tali modo sua auctoritate declarando et definiendo «verba formae», non tangit «substantiam sacramentorum», inquam, uti initio Constitutionis Apostolicae dictum est, Ecclesiae nulla competit potestas. Christus Dominus enim in omnibus sacramentis *sensum* formae accurate determinavit, non autem eodem modo quoad omnia sacramenta *verba*, quibus hic sensus exprimitur. Unde est, quod Ecclesia circa sensum nihil valeat, quod vero in quibusdam sacramentis expressio sensus ab Ecclesia hoc vel illo modo stabiliri possit, immo aliquis modus expressionis ab Ecclesia statui debeat. Quod Ecclesia secundum suam voluntatem facere potest, dummodo sensus, ab ipso Christo determinatus, fideliter servetur et determinetur; de qua recitata expressione iudicium esse debet, et est, penes Ecclesiam seu Romanum Pontificem.

Quoad Ordines Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus, diversitati opinionum theologorum nova hac Constitutione Apostolica, saltem relate ad tempus futurum, finis impositus est, cum ex verbis aptis ea sola rationem formae habeant «quae ab Ecclesia qua talia accipiuntur et usurpantur».

14. Parti positivae statim adnectitur pars negativa, scil. declaratio et dispositio, quidnam non requiratur (Const. n. 4). Haec pars negativa est simplex et necessaria conclusio ex antecedenti parte positiva; ideo incipit verbis: «hinc consequitur». Et revera, si unica materia, quae ad valorem requiratur, est impositio manuum, nulla alia materia ad valorem necessaria esse potest. Pars negativa in primis respicit «traditionem instrumentorum», quam, ut supra notatum est, multi theologi primae notae ante et post Concilium Florentinum dixerunt materiam

sacramenti, ad valorem saltem etiam necessariam. Immo in ipso Ponticali Romano, in instructione introductoria ad caput «De Ordinibus conferendis», usque in praesentem diem legitur: «Moneat (scilicet Pontifex cum Ordinibus confert) Ordinandos, quod instrumenta, in quorum *traditione character imprimitur*, tangant». Si traditione instrumentorum character sacramentalis imprimitur, haec traditio sine omni dubio est aliquis ritus essentialis, ad valorem sacramenti requisitus. Ob hanc praecise rationem S. Officium, cum hucusque litem theologorum dirimere noluerit, ex altera vero parte valorem sacramenti periculo nullitatis noluerit exponere, in casibus particularibus, in quibus traditio instrumentorum fuit omisa aut male facta, decernere solebat: «*reordinetur ad cautelam ex integro sub condicione*». Iuvat hac de re videre longum elenchum decisionum S. R. Congregationum circa defectus in conferendis Ordinibus commissos, quem exhibet Fr. Xaver HIECHT, P. S. M. in folio periodico «*Periodica de re morali etc.*», in suo articulo, «De reparandis defectibus in collatione ordinum occurrentibus». (tom. 23 (1934) p. 73-111).

Traditio instrumentorum intelligitur in ordine Diaconatus traditio libri Evangeliorum, in ordine Presbyteratus traditio calicis cum vino et patenae cum hostia, in ordine Episcopatus impositio libri Evangeliorum aperti super cervicem Electi, cui impositioni a paucis adnumeratur eiusdem libri clausi traditio in fine Consecrationis.

15. Notum est, circa hanc traditionem instrumentorum in casibus particularibus saepe dubia et anxietates conscientiae accidisse. His dubiis et anxietatibus, saltem quoad tempus futurum, aditus est praecclusus; nam in posterum nulla instrumentorum traditio ad essentialiam et valorem sacrorum Ordinum Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus requiritur.

Quod tempus praeteritum spectat, Constitutio Aposto-

lica quaestionem de necessitate traditionis instrumentorum relinquit apertam. Traditionem instrumentorum non esse necessariam voluntate ipsius Christi Domini explicite dicitur; eam numquam ex voluntate Ecclesiae ad valorem fuisse requisitam, nec affirmatur nec negatur. Nam hoc quoque loco intrat questio, quid Ecclesia valeat circa valorem sacramenti Ordinis, utrum necne ipsa aliqua statuere queat, quae ad validitatem requirantur ultra ea, quae ipse Christus Dominus servanda statuit; (cfr. supra n. 11). Constitutio Apostolica loquitur conditionate, scilicet: si umquam in decursu saeculorum ex legitima Ecclesiae decisione traditio instrumentorum fuerit necessaria, talis Ecclesiae dispositio praesenti Constitutione abrogatur. An revera acciderit, vel etiam an omnino potuerit accidere, apertum manet. «Legitime» accidere solebant modificationes ritus Ordinationis, historia teste, in decursu saeculorum non tantopere per formalia et explicita Decreta, quam via consuetudinis, quam competens auctoritas ecclesiastica via facti admisit et approbavit: (cfr. H. Lennertz, De Sacramento Ordinis; Romae 1947; pars I, conspectus historicus). Hinc, quoad tempus praeteritum, qui tenuit, traditionem instrumentorum fuisse de valore, circa tempus praeteritum eandem sententiam etiam in posterum defendere potest; Constitutione Apostolica hac in sententia defendenda non impeditur. Utrum haec sententia aliis rationibus refutari queat, non est huius loci examinare. Idem dicendum est de sententia contraria, secundum quam neque tempore praeterito traditio instrumentorum fuit de valore sacramenti; quoad tempus praeterlapsum etiam in posterum potest quis hanc thesim tenere et defendere.

16. Parti generali de tribus Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus Ordinibus adiungitur pars specialis de singulis Ordinibus, singillatim sumptis (Const. n. 5), et quaeritur, quinam ex ritibus occurrentibus ad essentiam et valo-

rem singulorum ordinum sint necessarii. Initio occurrit iterum duplex terminus «decernimus et constituimus», ut significetur: in quantum ad intentum effectum obtinendum, non suffecerit mera «declaratio» eius quod est, sed requiratur «usus dispositivus» supremae potestatis apostolicae, quo efficiatur quod non est: Summum Pontificem talem usum peragere.

...

17. In Ordinatione diaconali (Const. n. 5) «*materia*» est Episcopi manus impositio, et quidem una, quae in toto ordinationis ritu occurrit. Saltem abhinc traditio libri Evangeliorum ad valorem non requiritur, quod iam antea a multis auctoribus defendebatur qui censebant: hanc caerimoniam solummodo ad integritatem ritus requiri, et supplendam esse si fuerit omisa.

De *forma* Ordinationis diaconalis hucusque fuit sat magna inter theologos sententiarum diversitas. Alii putant: formam, eamque necessariam et sufficientem, esse verba Praefationi consecratoriae inserta et impositionem manus concomitantia «ACCIPERE SPIRITUM SANCTUM, AD ROBUR, ET AD RESISTENDUM DIABOLO, ET TENTIONIBUS EIUS. IN NOMINE DOMINI». Contra hanc sententiam urgebant alii: 1) verba haec in Occidente tandem post plura saecula ritui Ordinationis sunt inserta; in Oriente usque in praesentem diem desiderantur; 2) verba, in se considerata, non sunt univoce determinata, ideoque insufficientia ad significandam typicam Diaconatus potestatem et correspondentem gratiam Spiritus Sancti; 3) verba sunt superflua; nam quod significandum est, sufficeret et melius, licet modo deprecativo, significatur verbis impositionem manuum antecedentibus vel eam consequentibus, scil. verbis «SUPER HUNC QUOQUE FAMULUM TUUM, QUAESUMUS DOMINE, PLACATUS INTENDERE QUEM TUIS SACRIS ALTARIBUS SERVITURUM IN MINISTRIUM DIACONATUS SUPPLICITER DEDICAMUS» ut verbis «EMITTE IN EUM, QUAESUMUS, DOMINE,

SPIRITUM SANCTUM, QUO IN OPUS MINISTERII TUI FIDELITER EXSEQUENDI SEPTIFORMIS GRATIAE TUAЕ MUNERE ROBORETUR». Quapropter alii theologi censuerunt: his verbis, modo allegatis, non privative, sed vel cumulative vel disjunctive sumptis formam sacramenti constituit. Secundum hos auctores verba « ACCIPE SPIRITUM SANCTUM AD ROBUR etc. » habent rationem caerimoniae mune concomitantis, non autem participant in ipsa forma sacramenti. Possit quis formam sacramenti ponere etiam in ultima oratione, scilicet: « DOMINE SANCTE, PATER FIDEI, SPEI ET GRATIAE, etc. », quae nunc in fine totius ritus invenitur, antea autem praefationem consecratoriam antebat; de facto autem haec oratio vix ab ullo dicta est forma sacramenti.

Constitutione Apostolica toti huic opinionum diversitati finis imponitur: abhinc forma unice necessaria et sufficiens exhibetur verbis Praefationis, quae impositionem manus Episcopi immediate subsequuntur, scilicet: « EMITTE IN EUM, QUAESUMUS, DOMINE, SPIRITUM SANCTUM, QUO IN OPUS MINISTERII TUI FIDELITER EXSEQUENDI SEPTIFORMIS GRATIAE TUAЕ MUNERE ROBORETUR ». Dubitari nequit, verbum « ministerii » in hac propositione adhiberi sensu praegnantem et technico, correspondente verbo graeco *διακονία* (« diaconii »), a quo totus hic ordo habet nomen « diaconatus ». Constitutio Apostolica, eligendo haec verba Praefationis, redit ad antiquam aliquam Liturgiae legem, quae, quae sunt principalia et essentialia, ponebantur in « Praefatione ».

18. Maxima sentiendi et loquendi diversitas, quod ritus essentielles Ordinationis spectat, vigeat hucusque circa materiam et formam Ordinis Presbyteratus.

Alii dixerunt: materiam unice esse manuum impositionem, circa quam tamen — quia plures occurrunt in ritu impositiones — theologi in varias partes abierunt; cum

alii urgebant: requiri et sufficere primam impositionem quae silentio peragitur; alii censebant: ad hanc primam accedere debere eiusdem continuationem per manus dexterae super Ordinandos extensionem. Plura habentur Responsa S. Officii quibus statuitur: ordinationem ad cautelam sub conditione esse repetendam ob omissionem hanc secundam manuum impositionem, seu rectius: hanc primae impositionis continuationem per dexterae manus extensionem; (cfr. supra allegatum articulum Fr. Xav. Hecht, in folio periodico « Periodica de re morali etc. », I. c. pag. 102). Pauci tandem theologi volebant: necessariam esse etiam tertiam impositionem, quae in fine Missae Ordinationis fit adiunctis verbis « ACCIPE SPIRITUM SANCTUM, QUORUM REMISERIS etc. ». Probare intendebant suam sententiam dicendo: ad ordinem Presbyteratus aequae necessaria esse potestatem in corpus Christi verum atque potestatem in Corpus Christi mysticum; negarunt rationem sententiae contrariae habere vim evincentem. Dixerunt: gratis ab aliter sentientibus poni hanc argumentationem: potestas sacerdotii est indivisibilis; ideoque si datur, necessario datur tota; prima vero impositione manuum certo confertur potestas sacrificandi ideoque simul cum eo potestas absolvendi. Hanc argumentationem non admisserunt, statuentes: potestatem sacerdotii non esse in indivisibili; ideoque eam dari posse, et de facto dari, per partes, initio ordinationis potestatem sacrificandi, in fine potestatem absolvendi.

19. Praeter impositionem manuum (saltem primam) requiri etiam tamquam materiam, eamque essentialem, traditionem instrumentorum (patenae scilicet cum hostia et calicis cum vino), non pauci primae notae theologi, ut supra iam dictum est, tenuerunt, licet pauci fuerint qui dixerint: hanc traditionem esse materiam sufficientem et unice necessariam. Ex longo tempore constans praxis

S. Officii in solvendis casibus particularibus, in quibus traditio instrumentorum fuit omissa vel male facta, fuit haec: Praecipere ad cautelam reordinationem ex integro sub conditione. Exempla vide in allegato elencho Fr. Xav. Hecht (l. c. pag. 104 seqq.). Haec praxis S. Officii exhibet solutionem practicam, non autem decisionem doctrinalem; S. Officium, praescindendo a quaestione de principio, elegit viam qua certo omne dubium removebatur et damnum fidelium praecavebatur.

20. De forma Presbyteratus (idest de verbis applicationem materiae determinantibus) similis fuit diversitas opinionum, non tamen quoad ultimam manuum impositionem, cuius sensus evidenter determinabatur verbis concomitantibus: « ACCIPE SPIRITUM SANCTUM, QUORUM REMISERIS etc. ». Quoad verba vero, quibus prima et secunda manuum impositio plenam significationem accipiant, et quae ideo formam sacramentalem constituent, theologi minime fuerunt unius sententiae. Alii putarunt ad formam iam sufficere invitationem « OREMUS, FRATRES CARISSIMI, etc. ». Alii hanc « invitationem » noluerunt admittere tanquam formam, aut saltem illam iungendam dixerunt cum subsequenti oratione: « EXAUDI NOS, etc. », qua oratione proprie formam sacramentalem constitui defenderunt. Aliis tandem, licet secundam sententiam noluerint reicere, magis placuit: formam haberi in Praefatione consecratoria, quae manuum impositionem subsequitur, et in specie in his eius verbis: « DA QUASI SUMUS, OMNIPOTENS PATER, IN HUNC FAMULUM TUUM PRESBYTERII DIGNITATEM, etc. ». Ducti sunt in praelegendis his verbis 1) supra allegata consideratione liturgica: essentialia scilicet elementa ex antiqua consuetudine semper posita esse in « Praefatione » (« Praefatione consecratoria »); 2) quia haec verba sunt magis determinata et univoca, quam verba orationis: « EXAUDI

NOS, etc. ». Putarunt enim: verbis quae in hac oratione occurrunt « GRATIAE SACERDOTALIS INFUNDE VIRTUTEM » et « BENEDICTIONEM SANCTI SPIRITUS » non univoce significari, de cuius gratiae sacerdotalis infusione et de quam benedictione Spiritus Sancti sermo sit, de *plena* aut de *partiali*, quarum prima habeatur in Consecratione Episcopali, altera in ordinatione presbyterali.

21. Tota haec iudicandi et agendi incertitudo, quoad sacrum ordinem Presbyteratus, qui tanti momenti est pro bono totius Ecclesiae et salute animarum, nova Constitutione Apostolica (*Const.* n. 5) e medio sublata est.

Quod ad *materiam* attinet, deciditur positive: materiam eamque unicam esse Episcopi primam manuum impositionem, quae silentio fit; deciditur negative: non esse, saltem abhinc, huius primae impositionis continuationem per manus dexterarum extensionem super ordinandos; item non esse tertiam illam et ultimam manuum impositionem, cui coniunguntur verba: « ACCIPE SPIRITUM SANCTUM, QUORUM REMISERIS, etc. ». Quidquid ergo est de sententia divisibilitatis aut indivisibilitatis potestatis sacerdotalis, nunc constat: Ecclesiam intendere conferre *totam* potestatem per primam hanc manuum impositionem, iunctam cum correspondente forma, ita ut, materia applicata et forma pronuntiata Presbyter statim habeat (uti loqui solent) potestatem tum de Corpore Christi vero, tum de Corpore Christi mystico, idque ante traditionem instrumentorum et ante ultimam manuum impositionem.

Forma etiam hoc loco — (correspondenter ad antiquam legem liturgicam) — assignantur verba: « Praefationis », non quidem omnia et singula, sed tamquam essentialia solummodo haec: « DA, QUAE SUMUS, OMNIPOTENS PATER, IN HUNC FAMULUM TUUM PRESBYTERII DIGNITATEM, INNOVA IN VISCERIBUS EIUS SPIRITUM SANCTITATIS, UT ACCEPTEM A TE, DEUS,

SECUNDI MERITI MUNUS OBTINEAT, CENSURAMQUE MORUM EXEMPLO SUAE CONVERSATIONIS INSINUET». His verbis univoce effertur potestas Ordinis presbyteratus et correspondens gratia Spiritus Sancti; non minantur enim conferenda: «dignitas sacerdotalis», «secundum meriti munus» (in oppositione ad primi meriti munus, quod est Episcopatus), correspondens Spiritus Sancti communicatio per communicationem «Spiritus sanctitatis».

Moveri potest difficultas: haec verba, tamquam formam sacramenti, nimium distare a materia, idest a prima manuum impositione; difficultas, ad quam evitandam non pauci theologi hucusque necessariam duxerint primae manuum impositionis continuationem per manus dexterae extensionem, ut per eam unio moralis obtineatur cum forma, quam habuerunt orationem «EXAUDI NOS». Negari non potest: unionem inter materiam et formam requiri ad validitatem sacramenti, cum constituere debeant aliquod «unum» et actum unum. Sed haec «unio» admittit quandam latitudinem; generatim sufficit unio moralis, et haec iterum varia esse potest in variis sacramentis. In ordinatione presbyterali unio obtinetur per continuationem unius eiusdemque Ritus Ordinationis, qui constituit unum morale totum; idque eo magis, quod tota Praefatio consecratoria ad hoc composita est, ut clare appareat, in quemnam finem impositio manuum fuerit facta. Est etiam notatu dignum: in Constitutione Apostolica nunquam de forma sacramentali adhiberi usitatum phrasim: formam constitui «verbis applicationem materiae concomitantibus»; deliberate usurpatur semper phrasis: «verbis applicationem materiae *determinantibus*» (cfr. Const. Ap. n. 3-4).

22. Circa materiam Ordinationis seu consecrationis episcopalis, diversitas opinionum non fuit tanta, quanta circa materiam Ordinationis presbyteralis; nihilominus

non defuerunt qui aliter ac sententia communis docet, censuerint.

«Impositio libri Evangeliorum», de qua iam loquitur S. Chrysostomus, et quae a saeculo X per multas regiones probari potest sparsa, a nonnullis habebatur ritus non solum accidentalis, sed substantialis et ad valorem Consecrationis necessarius. Sed hanc opinionem exhibuisse unquam sententiam theologorum communem, non facile probaretur. Vi Constitutionis Apostolicae haec impositio, saltem abhinc, non est materia, ne partialis quidem, ad Consecrationem episcopalem necessaria; sed materia unica erit manuum impositio, quae una occurrat facienda per Episcopum Consecratorem, (vel simul per Episcopos Consecratos, quoties adhibentur).

23. De forma essentiali Ordinationis episcopalis haud pauci theologi, quibus adnumerandus est etiam S. Alphonsus de Liguori, tenuerunt et tenent sententiam: eam constitui verbis, quae ab Episcopo Consecratore (simul cum Episcopis Consecratoribus) proferuntur, dum manuum impositionem petagunt, scil. «ACCIPERE SPIRITUM SANCTUM». Opponent autem alii: haec verba posteriore tandem tempore, saeculo scil. XIII, ritui consecrationis fuisse inserta; ideo eam non posse exhibere formam essentialem. Urgent insuper: haec verba esse nimis indeterminata, quia ex iis non appareat, ad quemnam effectum potestatis et gratiae verba proferantur. Quam rationem urgebat ipse Leo XIII in sua Epistola «Apostolicae Curiae» d. d. 13 Septembris 1896 (cf. Denz. 1963 sqq.), de ordinibus angelicis. Ad quas rationes, qui defendunt primam sententiam supra allegatam, respondent: cum *verba* formae (in oppositione ad *sensum* formae, verbis exhibendum) non ab ipso Christo Domino sint instituta, Ecclesiam potuisse et debuisse quaelibet verba apta adhibere; verba vero «ACCIPERE SPIRITUM SANCTUM» esse verba apta, quia eorum sensus (ceteri non ex solo sensu grammaticali, tamen ex con-

textu ipsius Ritus) univoce determinetur ad significandam plenitudinem Spiritus Sancti et ad dandam plenitudinem sacerdotii Christi in munere et ordine episcopali. Nihilominus sat multi, ob dubia quae contra formam « ACCIPE SPIRITUM SANCTUM » moveri possunt, eorum loco (vel cum iis iunctam) posuerunt tamquam formam Orationem: « PROPITIARE, DOMINE, etc. », quae Oratio immediate subiungitur impositioni manuum, et in qua oratione haec habentur verba: « INCLINATO SUPER HUNC FAMULUM TUUM CORNU GRATIAE SACERDOTALIS » et « BENEDICTIONIS TUAЕ IN EUM EFFUNDE VIRTUTEM ». Quibus verbis hi theologi censent: sufficienter exprimi totam cornu gratiae sacerdotalis et omnem benedictionis virtutem. Sed aliis neque haec oratio sufficere videbatur ad significandam ordinationis episcopalis potestatem et gratiam significantam; urgebant: orationem « PROPITIARE, DOMINE, etc. », prout sonat, adhiberi posse et verificari etiam in ordine presbyterali. Ideoque statuerunt sententiam: verba, quae plene sufficiant potestati et gratiae significantae, haberi tandem in Praefatione consecratoria, cuius essentialia sint ea, in quibus « summa seu totalitas » ministerii sacerdotalis, necnon « ornamentum totius glorificationis » exprimitur.

24. Constitutio Apostolica (Const. n. 5) quin ferat iudicium de his sententiis et de argumentis quibus inniuntur, statuit: tamquam formam, saltem in posterum, consideranda et adhibenda esse verba Praefationis, et quidem tamquam essentialia sola haec: « COMPLE IN SACERDOTE TUI MINISTERII TUI SUMMAM ET ORNAMENTIS TOTIUS GLORIFICATIONIS INSTRUCTIONEM, CAELESTIS UNGUENTI RORE SANCTIFICA ».

De requisita unione horum verborum cum antecedente impositione manuum valent eadem quae supra n. 21. de ordinatione sacerdotali dicta sunt, scilicet: uniantur

per continuitatem totius Ritus et per ipsa Praefationis verba, quibus explicatur, ad quid omnia, quae eousque fiebant, sint peracta.

25. Cum in Consecratione Episcopali non unus tantum Episcopus Consecrator occurrat, sed plures Episcopi tanquam Consecratores omnino adhibendi sint, — licet unus Episcopus ad eam valide peragendam sufficiat — explicite in nova Constitutione Apostolica stabilitur: ea quae in antecedenti Constitutione Apostolica « Episcopalis Consecrationis », d. d. 30 Novembris 1944, statuta sint, in pleno vigore manere. Unde patet: sacramentalem materiam et formam, scilicet impositionem manuum et omnia verba formae sacramentalis, in nova Constitutione Apostolica designatae, etiam ab unoquoque Episcopo consecrante totam et totaliter debere adhiberi, et quidem cum intentione, ita agendo, conferendi Electo consecrationem episcopalem eodem modo atque Episcopus Consecrator. Reliqua vero, quae ab Episcopis Consecratoribus iuxta ritum consecrationis fieri debent, ad licetatem quidem requiruntur, non autem ad valorem actus consecratorii ab iis ponendi. Hae duae ergo Constitutiones Apostolicae, scilicet « Episcopalis Consecrationis », d. d. 30 Novembris 1944, et « Sacramentum Ordinis », d. d. 30 Novembris 1947, se invicem complent.

...

26. Statutis normis de materia et forma trium Ordinum Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus, statuuntur quaedam normae complementariae (Const. n. 6), quarum prima est de tactu in manuum impositione peragendo, sed quisnam modus tangendi observari debeat.

Fuit quaestio sat spinosa, et toties in S. Officio agitata, an impositio manuum fieri debeat tactu physico, an sufficiat tactus moralis, idest extensio manuum super

caput Ordinandi, (dummodo in individuo determinatum sit, quibus haec extensio destinetur). In quantum ex « Responso publicatis » erui potest, constans praxis S. Officii — (quod, praescindendo a disputata quaestione doctrinali, in decidendis casibus particularibus, semper viam tutam elegit) — fuit decernendi: *ad cautelam reordinetur sub conditione ex integro cum tactu physico*. Exemplum vide: Fontes IV, n. 917, d. d. 19 augusti 1851, etiam d. d. 20 januarii 1875; d. d. 26 januar. 1898; Fontes IV, n. 1241, d. d. 4 iulii 1900; n. 1259 d. d. 7 maii 1902; etiam supra allegatum articulum, a Fr. Xav. Hecht conscriptum.

At etiam tempore praeterito non defuerunt, qui censuerint: tactum physicum non esse necessarium ad valorem. Hoc loco iterum ex Actis, cum speciali facultate inspectis, et obtenta speciali licentia publicandi quae hic sequuntur, haec sint dicta:

Iam Pius VI anno 1776, occasione alicuius casus particularis, manifestavit mentem: in ordinatione tactum physicum ad impositionem manuum et ad valorem ordinationis non esse necessarium. Casus particularis fuit hic: in consecratione alicuius Episcopi Consecrator in impositione manuum super caput consecrandi non physice tetigit eius caput, sed manus suas elatas atque extensas habuit super caput consecrandi, proxime ad capillorum superficiem, et ad manus duorum aliorum Episcoporum assistentium, qui ambo physice et corporaliter tetigerunt caput consecrandi. Exorto hinc aliquorum paucorum theologorum dubio ratione contactus physici ex parte Consecratoris deficientis: Consecrator in Missa privata solus, in quantum opus, reiteravit illam impositionem manuum, physice tangendo caput consecrati, interea pronuntians formam: « ACCIPE SPIRITUM SANCTUM ».

Ad solutionem huius casus nominatum fuit quoddam « Consilium theologicum-canonicum », 15 completens theologos. Ex his in fine sessionum die 19 novembr. 1776

undecim dederunt votum: in casu, de quo agitur, esse acquiescendum; quattuor autem putarunt: consecrationem esse ex integro ad cautelam sub conditione reiterandam; item sub conditione denuo ordinandos esse, qui a Consecrato fuerunt ad ordines maiores promoti.

Casus dein a Cardinalibus coram ipso Summo Pontifice fuit discussus. Iuxta authenticum et officiale Protocolum Summus Pontifex votum undecim Theologorum adprobavit, idest: esse acquiescendum.

Ex notitiis privatis Cardinalis Caprano (quae etiam in Actis habentur) magis in particulari apparet, quomodo tunc temporis res coram Pontifice processerit. Die 28 Novembris 1776 ad causam coram Pio VI discutendam praesentes fuerunt septem Cardinales, scilicet: Castelli, Colonna, Boschi (Poenitentiaris), de Celada, Caprano, Boxardos, Porriani. Eminentissimi Patres non fuerunt unius sententiae; maior pars censuit: consecrationem esse sub conditione reiterandam; unus voluit, ut decisio differretur et prius examinaretur, num ad valorem sufficeret ut ab uno ex Episcopis assistentibus tactus physicus suppleretur. qui a Consecratore fuit omissus; duo simpliciter iudicant, consecrationem fuisse validam. Summus Pontifex (iuxta notitias allegatas Cardinalis Caprano) decidit pro validitate; ipsi visum est: contactum physicum non fuisse necessarium, sed suffecisse tactum moralem; adoptavit votum undecim Theologorum. Voluit tamen adhuc praescindere a decidenda quaestione (de principio), neque dedit de ea positivum Responsum. Ita secundum relationem Cardinalis Caprano.

Ex dictis apparet: Pium VI acceptasse quidem sententiam undecim Theologorum qui censuerunt: in casu esse acquiescendum, (evidenter quia consecrationem habuerunt validam); eum inclinasse etiam in opinionem: contactum physicum non esse necessarium; sed ex altera parte: Pontificem tunc temporis adhuc noluisse de hoc

MEMORIAL

puncto dare decisionem auctoritativam. Ob quamnam ergo causam Pius VI adoptaverit votum undecim, utrum propter suam de tactu physico vel morali opinionem, an propter rationem ab uno ex Eminentissimis Patribus allatam (scilicet: per Episcopos assistentes tactum physicum fuisse suppletum quem Consecrator omiserat), vel propter reiterationem impositionis manuum sequenti die a solo Consecratore factam: neque ex officiali Protocollo neque ex Notitiis privatis Cardinalis Caprano decidi potest.

Notatu dignum est: S. Officium, prout apparet ex eius supra allegatis Responsis, non obstante decisione Pii VI, controversiam de necessitate tactus physici non habuisse solutam, ideoque, ob securitatem et ad arcendas funestas sequelas ordinationis forte invalidae, continuasse consuetam suam praxim, statuendo in casu dubii insolubilibus: *ad cautelam reordinetur ex integro sub condicione cum tactu physico.*

27. Nunc Constitutione Apostolica (*Const. n. 6*), auctoritative et definitive, etiam haec incertitudo est sublata, et hic anxietatum fons est oclusus. *Præcipitur* quidem (non solummodo « consulitur »), ut in quolibet ordine conferendo impositio manuum fiat « caput ordinandi *physice tangendo* ». Ratio huius praecepti assignatur: « ne dubitandi praebeatur occasio ». Tactus physicus requiritur ergo ad licetatem.

Quod ad valorem autem attinet, verbis minime dubiis in Constitutione declaratur: ad sacramentum valide faciendum sufficere tactum moralem, idest extensionem manuum super caput ordinandi sine contactu corporali. (NB! Tactus physicus adest etiam, si manus Episcopi sunt chirothecis obiectae, vel ordinandus caput habet capillis alienis, idest capillamento, coopertum).

28. Quaeri potest, num, quae in Constitutione Apostolica de contactu physico et morali auctoritative statuta

et decisa sunt, valeant etiam de ritibus Orientalibus, ita ut in iis quoque, quod valorem spectat, sufficiat tactus moralis: quantumvis quod attinet ad licetatem, requiratur contactus physicus.

Phrasis graeca quae in ritu ordinationis diaconalis, presbyteralis, episcopalis semper eadem occurrit, scilicet: *ἐξὼν τὴν χειρὰ αὐτοῦ ἐπιχειμένην* (= Episcopus... tenens suam manum impositam), significat quidem primario tactum physicum, sed adhibetur etiam ad significandum tactum moralem. Constitutio Apostolica immedie et explicitè agit de ritu Ordinationis secundum *Pontificale Romanum*, ergo in *Ritu latino*; itaque ad Ritus Orientales applicari non potest, nisi ex natura rei aut aliunde talis applicatio probatur. Ex natura rei autem et ex iis quae initio Constitutionis dicuntur, deduci debet: tactum physicum non pertinere ad « substantiam sacramenti », idest ad « ea quae, testibus divinae revelationis fontibus, Christus Dominus Ipse in signo sacramentali servanda statuit ». Secus enim neque pro Ritu latino Summus Pontifex statuere posset, tactum physicum non esse de valore sacramenti. Et cum Sacramentum Ordinis idem sit in Ritibus Orientalibus atque in Ritu latino, concludi debet: neque in Orientalibus Ritibus tactum physicum ad valorem requiri *ex voluntate Ipsius Christi*. Si ergo in Ritu Orientali nihilominus ad valorem requirebatur, hoc solummodo esse potuit et potest ex voluntate Ecclesiae, manifestata saltem per approbationem consuetudinis, via facti datam. Talem eventualem Ecclesiae voluntatem etiam in Ritu Orientali abhinc non iam valere, sed habendam esse retractatam et abrogatam, ex Constitutione Apostolica erui non potest. Hinc quoad Ritus Orientales haec quaestio manet in eodem statu, in quo ante Constitutionem fuit.

29. Secunda norma complementaria (*Const. n. 6*) res-oluit relationem novae Constitutionis ad ritum ordinationis in « Pontificali Romano » descriptum, prout hucus-

que observatus est. Ponitur regula « *Nihil innovetur* ». Omnes omnino ritus, etsi nullo modo ad essentiam pertinent, tales, quales sunt, non solum possunt, sed ex praeepto debent observari, nihil est negligendum vel praetermittendum. « *Iubemus* », ita Summus Pontifex, « ut omnia data praescripta ipsius Pontificalis Romani sancte serventur et perficiantur ».

Quaeri potest, quid in posterum valeat quoad ritus non-essentiales sive *supplendos* sive *iterandos*. Quoad sacramentum baptismatis habetur explicita norma in canone 759 et 760: « Caeremoniae quae in baptismi collatione praetermissae quavis ratione fuerint, quam primum in ecclesia suppleantur », et « Cum baptismus sub condicione iteratur, caeremoniae, si... in priori baptismo adhibitae sunt, repeti in altero aut omitti possunt ». In nova Constitutione Apostolica nihil huiusmodi habetur, neque de supplendis neque de iterandis caeremoniis non-essentialibus. Recurrendum ergo erit in singulis casibus et expectandum, quid S. Sedes responsura sit.

30. Tertia dispositio complementaria est de vi retroactiva Constitutionis. In Constitutione (*Const.* n. 6) legitur: « Huius nostrae Constitutionis dispositiones vim retroactivam non habent ». Verba diligenter perpendi debent. Constitutio continet *expositiones doctrinales* de veritatibus fidei, et *ordinationes dispositivas* de ritibus exsequendis. Declarationes doctrinales ex natura rei « vim retroactivam » habent; nam « enuntiant » veritatem, quae est et quae semper fuit, non autem « creant » veritates. Ordinationes dispositivae autem de exsequendis ritibus — [significancur terminis « decernimus, disponimus, statui-mus »] — statuere possunt, quod non fuit, aut tollere, quod est; hinc *possunt* habere vim retroactivam, eamque habent, si retrotractionis capaces sunt et si legislator iis talem vim tribuere valet et vult. Summus Pontifex in Consti-

tutione explicitè declarat: actus *dispositivos*, qui in Constitutione Apostolica occurrunt, non habere vim retroactivam. Ex dispositione Summi Pontificis est ex. gr. quod saltem in posterum « *traditio instrumentorum* » non requiratur ad valorem; quod non nisi verba in Constitutione designata, habent rationem formae sacramentalis; quod ad valorem non requiratur tactus physicus in impositione manuum. Quia ergo « *dispositiones* » Constitutionis vim retroactivam non habent, ex Constitutione Apostolica probari non potest: in praeterito traditionem instrumentorum non fuisse ad valorem requisitam; formam sacramentalem exhibitam fuisse solis verbis in Constitutione designatis; contactum physicum non fuisse de valore. Si hae caeremoniae aliunde probari possunt non necessariae, probentur; Constitutio Apostolica, ut tale quid probetur, invocari non potest.

Unde est, quod dubia de valore ordinum, qui ante Constitutionem collati sunt, non possint solvi ex novis huius Constitutionis dispositionibus; sed recurrendum sit ad normas antea vigentes. De cetero quoad DUBIA statuitur explicita: « Si dubium aliquod contingat, illud huic Apostolicae Sedi erit subiiciendum ». Quod valet de dubiis tum temporis praeteriti, tum temporis futuri.

31. Haec de « vi retroactiva » novae Constitutionis. Restat quaestio, a quonam die nova Constitutio incipiat vim suam exserere, utrum statim momento promulgationis, an tandem post elapsum determinatum tempus. Constitutio de hac re nihil habet. Recurrendum est ergo ad alias normas et principia. Declarationes doctrinales statim valent, facile intellegitur; nam — ut modo dictum est — non mutant veritatem novam, sed proclamant iam existentem. Ordinationes autem dispositivae, quae habent rationem formae sacramentalis, reguntur norma, in canone 9 CIC de legibus ab Apostolica Sede latis statuta:

Can. 9. « Leges ab Apostolica Sede latae promulgantur in ACTORUM APOSTOLICAE SEDIS COMMENTARIO OFFICIALI, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus; et vim suam exercent tantum expletis tribus mensibus a die qui ACTORUM numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta ».

Longior vel brevior vacatio quoad novae Constitutionis declarationes dispositivas neque ex natura rei existit, neque in ipsa Constitutione tale quid « specialiter et expresse » statuitur. Hinc quoad diem quo Constitutionis declarationes dispositivae valere incipiunt, applicari debet principium generale canone 9 statutum. Unde deducitur: valorem alicuius ordinationis diiudicari non posse secundum novam Constitutionem, nisi haec ordinatio facta fuerit « expletis tribus mensibus a die qui ACTORUM numero appositus est », Ante elapsum hoc tempus iudicium de valore alicuius ordinationis ferri debet secundum normas ante novam Constitutionem vigentes, sive hae normas cum normis Constitutionis fuerint quoad rem identicae, sive ab iis discrepent. Dies numero ACTORUM appositus est dies 28 Ianuarii 1948. Facta trium mensium computatione (secundum computandi regulam, statutam canone 34 § 3 n. 1 et 2, iunctim can. 32 § 1), nova Constitutio dici debet vim exserere a die 28 Aprilis 1948, et quidem a media nocte inter diem 27 et 28 Aprilis.

32. Finitur Constitutio Apostolica (*Const. n. 6*) voluntate Summi Pontificis explicite repetita, qua Constitutioni Apostolicae plenam vim effectivam tribuit: « Haec edicimus, declaramus et decernimus, quibuslibet non obstantibus, etiam speciali mentione dignis ». Insuper datur alia qua norma practica, quoad Pontificale Romanum normis essentialibus huius Constitutionis adaptandum: « Volumus et iubemus, ut eadem in Pontificali Romano quadam ratione evidenter fiant » e. gr. adhibitis typis specialibus.

Omnibus Christifidelibus incumbere obligationem et officium humilem plenamque oboedientiam praestandi quoad omnia quae in Constitutione Apostolica statuuntur et declarantur; neque ulli licitum esse Constitutionem « infringere vel iidem temerario ausu contraire » : explicatione et probatione non indiget.

...

33. Sequenti brevi conspectu significatur, quomodo ritus essentialis, per Constitutionem Apostolicam designatus, se habeat ad integrum Ritus in Pontificali Romano exhibitum.

PONTIFICALE ROMANUM

(Ritus integer)

CONSTITUTIO APOSTOLICA

(Ritus essentialis)

IMPOSITIO MANUS.

«EMITTE IN EUM QUÆSUMUS DOMINE SPIRITUM SANCTUM QUO IN OPUS MINISTERII TUI FIDELITER EXSEQUENDI SEPTIFORMIS GRATIAE TUAÆ MUNERE ROBORETUR».

Ordo Diaconatus

Impositio manus.
Accipe Spiritum Sanctum ad robur, etc.
Emitte in eum, quæsumus, etc.

Impositio vestimentorum sacrorum.
Accipe stolam candidam, etc.
Induat te Dominus indumento, etc.

Traditio libri Evangeliorum.
Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, etc.

Prima manuum impositio.

Extensio manus dexteræ seu secunda impositio

manuum.

Oremus, fratres charissimi, etc.

Exaudi nos quæsumus, etc.

Praefatio consecratoria.

Impositio vestimentorum sacrorum.

Accipe iugum Domini, etc.

Accipe vestem sacerdotalem, etc.

IMPOSITIO MANUUM.

«DA QUÆSUMUS OMNIPOTENS PATER IN HUNC FAMULUM TUUM PRESBYTERII DIGNITATEM, INNOVA IN VISCERIBUS EIUS SPIRITUM SANCTITATIS: UT ACCEPTUM A TE, DEUS, SECUNDI MERITI MUNUS OBTINEAT, CENSURAMQUE MORUM EXEMPLO SUAE CONVERSATIONIS INSINUET»

Ordo Presbyteratus

Accipe manuum.

Consecrare et sanctificare, etc.

Traditio instrumentorum.

Accipe potestatem offerendi, etc.

Tertia manuum impositio.

Accipe Spiritum Sanctum, quorum, etc.

Explicatio casulae.

Stolae innocentiae, etc.

Impositio libri Evangeliorum aperti.

Impositio manuum.

Accipe Spiritum Sanctum.

Propitiare, Domine, etc.

Praefatio consecratoria.

Unctio capitis et manuum.

Praefatio consecratoria (continuatur).

Ungetur et consecratur caput, etc.

Ungetur manus istae, etc.

Traditio insignium Pontificalium.

Traditio libri clausi Evangeliorum.

Accipe Evangelium, et vade, etc.

IMPOSITIO MANUUM.

Ordo Episcopatus

«COMPLE IN SACERDOTE TUO MINISTERII TUI SUMMAM, ET ORNAMENTIS TOTIUS GLOBIFICATIONIS INSTRUCTUM, COELESTIS UNGUENTI RORE SANCTIFICA».

Hic conspectus manifestat, quomodo integra sacramentum ordinationum Liturgia abundet caeremoniis, profunda atque significatione plenis, quibus — conformiter ad hominis naturam quae non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli — fideles ad rei sanctae et altae, quae in sacris ordinationibus agitur, intellectum atque contemplationem excitentur et promoveantur. Ex altera parte hic conspectus inservit, ut bene innotescant et accurate discernantur ea — « pauca » dicere debemus — quae ad validam Sacrorum Ordinum administrationem requiruntur et sufficiunt. Quae intellexisse et prae oculis habere non parum conferet ad certitudinem iudicii et ad conscientiarum tranquillitatem.

FRANCISCUS HÜRTH S. I.

APPENDIX

In ACTIS exposita invenitur quaedam de manuum impositione sententia quae ad profundius studium et ad pleniorum cognitionem impositionis manuum tamquam materiae sacramentum ordinationum inservire potest, et quam ideo hic per modum APPENDICIS adiungere bene visum est.

1. Constitutione Apostolica « Sacramenti Ordinis » ritus essentielles ordinationis, qui unice ad valorem eius requiruntur, auctoritate Summi Pontificis designantur et definiuntur: impositio manuum, tamquam materia, et determinata verba Praefationis consecratoriae, (ea scilicet quibus respectivi ordinis potestas et gratia univoce significatur) tamquam forma.

Impositionem manuum inde a temporibus Apostolorum adhibitam esse ad constituendos diaconos, presbyteros, episcopos, et ad conferendam iis potestatem et gratiam, testantur ipsae Sacrae Literae necnon plura testimonia antiquitatis christianae. Ad hunc ergo ritum applicari potest et debet quod passim ad discernendas veritates doctrinae catholicae applicatur et tamquam criterium veritatis designatur: « *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus* ».

2. Nihilominus ulterius quaeri potest, quid in impositione manuum et in forma eam determinante sit ultimum, et in se ac proprie intentum elementum, cui tamquam signo sensibili, gratia adnectatur: impositio manuum, secundum suum esse physicum et materiale (sicuti aqua, oleum, chrisma, in sacramento Baptismatis, Extremae Unctionis, Confirmationis) —, aut aliud, cui hoc

« esse physicum » sit solummodo vehiculum accidentale, et quod proprie et in se a Christo Domino fuit electum et determinatum, tamquam signum efficac gratiae.

Hanc quaestionem Constitutio Apostolica nec ponit nec intrat nec solvit. Nihilominus Constitutio Apostolica, quae tantopere effert et urget « impositionem manuum », praebet ansam et rationem, cur sensus et pondus huius quaestionis aliquo modo ulterius dilucidetur et examine- tur. Quo ex examine apparebit: differentiam inter varias saeculis praeterlapsis a theologis disputatas sententias de essentialibus ordinationum ritibus, quod ad rem attinet, ultimam non fuisse tantam quanta primo aspectu vide- tur; immo eam forte fuisse potius controversiam de ele- mentis accidentalibus, quibus elementum proprie consti- tutivum « sacramenti » Ordinis non tangatur.

Cum vero allegata in ACTIS sententia hucusque non fuerit sufficienter discussa et examinata, ea hic non pot- est proponi per modum « thesisi », sed per modum « ques- tionis » tantum.

...

3. Praemitti debet brevis inquisitio in naturam sa- cramenti, in quantum est sensibile signum effectus in- terni invisibilis. Signum sacramentale componi dicitur: rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma; quod theologi, systema hylemorphismi sequentes, intellegunt analogice ad compositionem corporum ex materia et for- ma, tanquam ex duabus substantiis incompletis atque par- tibus physicis substantialibus corporis.

Compositio autem signi sacramentalis etiam alio mo- do concipi et analysari potest, nempe ita ut elementum materiale dicatur omne id, quod et quatenus ratione sui est sensibile et corporale (ex. gr.: materialis res, sonus verbi ore pronuntiati, nutus, littera, actio, factum); for- male autem elementum omne et solum id, quod dicit vim significativam. Signum sensibile ita consideratum, com- ponitur: re sensibili (latissime sumpta) tanquam mate-

ria, et huius rei significatione, tamquam forma. Secun- dum hanc considerationem *verba* quoad suum elementum materiale pertinent ad materiam; et *res*, quoad suam viam significativam spectat ad formam.

Cum significatio gratiae et spiritualis potestatis nulli obiecto materiali ratione sui insit, et cum tali obiecto adiungi non possit, nisi voluntate Dei, ex Dei mente sig- nificatio, si quae adest, disci debet. Et cum « signum sa- cramentale » non sit unum physicum, sed unum artificia- le, et cum tota vis significativa ab extra ad elementum materiale signi accedat, in aliquibus signis sacramentali- bus accidere potest, ut signum in hac sua parte mate- rialiter mutationem substantialem subeat, et nihilominus (se- cundum commune et sanum iudicium hominum) in sua parte formali, idest in significatione qua tali maneat om- nino idem. Ita ex. gr. si duarum voluntatum consensus per signum externum manifestari et significari debet, « sig- nificatio » consensus dati censetur substantialiter eadem, sive consensus significetur per verbum ore prolatum, sive per verbum scriptum, sive per nutum capitis, sive per alium quendam actum, sive per « factum concludens » quod dicunt; quamvis omnes hae unius eiusdemque con- sensus manifestationes secundum suum esse materiale sint substantialiter diversae. Quod multo magis valet, si non proprie « externa forma » qua consensus manifestatur, ha- bet rationem « signi », sed *ipse consensus*, ad extra ma- nifestatus.

Neque tamen haec assertio de omni omnino signo poni potest. Nam auctor signi significationem adnectere potuit non nisi uni determinatae rei significanti, eamque denegare cuilibet alteri rei vel actui. Ita, ex. gr. Christus Dominus non nisi aquae seu ablutioni aqua factae significationem gra- tiae baptismalis adhevit. In matrimonii sacramento sig- num sensibile gratiae invisibilis Christus Dominus elegit ipsum contractum matrimonialem exterius manifestatum, (idest: iuris matrimonialis per consensum partium, exte-

rius manifestatum, collationem). Hoc vero signum sacramentale (secundum commune et sanum hominum iudicium) manet substantialiter idem, etsi externus modus, quo consensus matrimonialis manifestatur, est, quoad suum specificum Esse physicum, substantialiter alius et alius, (ex gr. verba ore prolata, nutus capitis, cohabitatio animo matrimoniali assumpta, copula carnalis ex affectu matrimoniali peracta). Ratio cur externa consensus matrimonialis manifestatio, in quantum habet rationem signi, sit omnino eadem, non obstante tanta differentia in modis physicis manifestationis, in eo est, quod consensus matrimonialis, ratione sui, est omnino indifferens ad physicum hunc vel illum externum modum, quo praestetur; ei essentiale est solummodo, quod externa manifestatio revera exhibeat consensum matrimonialem. Ideo, abstractione facta a statuto et praecepto Ecclesiae, quo determinatus modus sub effectu nullitatis praescribitur, fideles, quod ad valorem attinet, modo hanc, modo aliam formam consensus manifestandi eligere valent. Et revera, Ecclesia quoad matrimonia baptizatorum, non-catholicorum, quolibet modum consensus matrimonialis dandi et ad extra manifestandi tamquam sufficientem admittit ad valorem matrimonii et sacramenti. Saepissime in terra missionum accidit, ut baptizati non-catholici inter se matrimonium inquant secundum ritum stirpis et gentis; neque tot sunt « sacramenta matrimonii », quot sunt ritus externi quoad Esse physicum substantialiter diversi; nam in istis ritibus non attenditur id quo inter se differunt, sed id in quo conveniunt. Secundum defensores sententiae de qua agitur: in omnibus istis ineundi matrimonium modis, quibus consensus matrimonialis exprimitur, distingui debet *qualitas generica*, vi cuius unusquisque modus est *aliqua* manifestatio consensus matrimonialis, et *qualitas specifica*, vi cuius est *haec determinata* manifestatio. Significatio sacramentalis, aiunt, in his modis habetur vi qualitatis genericae, non autem vi qualitatis specificae; quia

signum sacramentale a Christo institutum est consensus matrimonialis *quocumque tandem modo* manifestatus. Varii autem modi, *secundum suas qualitates specificas et distinctivas*, non inserviunt ad significandum praecise id, quod *omnibus modis est commune*, et quod iis inest ratione qualitatis genericae. Verum quidem esse dicunt: non esse neque posse esse aliquem modum contrahendi, qui habeat tantummodo qualitatem genericam manifestandi consensum; sed unumquemque modum esse semper modum etiam specificae determinatum; negant autem: singulos modos secundum has suas proprietates distinctivas intrare in signum sacramentale. Secundum hanc ergo theoriam omnis ritus seu modus, *complete spectatus*, (id est uti continens et qualitatem genericam et qualitates specificas) est « signum sacramentale »; si vero quaeritur, quid in hoc ritu, complete sumpto, exhibeat signum sacramentale a Christo statutum, respondent: hoc esse unice et sufficienter qualitatem genericam, quia ea ad extra manifestat consensum matrimonialem.

4. Haec si applicantur ad sacramentum Ordinis, quaeritur: an fortasse Christus Dominus, prout in sacramento matrimonii signum sacramentale elegit ipsum consensum matrimonialem ad extra manifestatum, non autem determinatam quandam celebrationis formam externam: ita in sacramento Ordinis signum sacramentale forte elegerit *ipsam collationem potestatis ordinis*, non autem determinatum quandam externum collationis modum. Qua suppositione facta, non iam dici debet: per administrationem sacramenti ordinis conferri potestatem ordinis; sed viceversa: per exterius manifestatam collationem potestatis ordinis administrari sacramentum ordinis; (non aliter ac in sacramento matrimonii non per administrationem sacramenti conferitur mutua in corpus potestas; sed viceversa: per exterius manifestatam efficacem huius potestatis collationem administratur sacramentum).

Christus Dominus (ut adhibeamus quorundam theologorum modum loquendi) secundum eorum sententiam instituit « Ordinem » in sua *quidditate et totalitate*, quae totam potestatem ordinis contineat; suae Ecclesiae reliquit determinare « ordinis » *graduitatem*, ita ut Ecclesia communicare potuerit vel totam potestatem vel aliquam solummodo eius partem.

De modo quo Ecclesia hanc collationem peragat, iuxta defensores huius opinionis ipse Christus nihil statuit. Neque tamen Ecclesia, statuendo vel mutando determinatum quendam modum externum collationis potestatis, instituit vel mutat substantiam signi sacramentalis; nam in quolibet modo externo, ab Ecclesia adhibito, continetur semper idem, ab ipso Christo Domino electum signum sacramentale, scilicet: *externa collatio potestatis ordinis*. Et huius signi substantia et significatio prorsus eadem est, sive (externa) collatio potestatis peragitur « traditione instrumentorum », sive « manu impositione », sive utroque ritu simul. Ideo, si Christus Dominus potestatem sacerdotalem Apostolis contulit solis his verbis: « *Hoc facite in meam commemorationem* »; si Apostoli eandem potestatem contulerunt manu impositione, (eligendo signum quod tunc temporis apud Iudaeos ad conferendam potestatem fuit usitatum; cf. supra pg. 21, n. 13, Notam 1), si Ecclesia — (dato, non concessio) — potestatem ordinis communicavit traditione instrumentorum: non aliud et aliud, sed semper unum idemque « signum sacramentale » (in quantum ab ipso Christo Domino est determinatum) fuit adhibuitum.

Inde vero inferri non potest: externum « modum » non influere in valorem ordinationis. Nam, cum a voluntate Ecclesiae pendeat, num omnino potestatem conferre velit; num eam dare velit per hunc actum externum vel per alium; num eam, quam dare intendit, dare velit uno actu totam, vel per partes pluribus actibus distinctis: externa formae adhibitae maximum influxum in valorem

collationis potestatis exercere possunt. Formis enim, ab Ecclesia statutis, non servatis, potestas ordinis non confertur; non, quia hae formae secundum suas specificas et distinctivas qualitates sint partes substantiales « signi sacramentalis », sed quia solae hae determinatae formae ex voluntate et intentione Ecclesiae habent vim collativam potestatis ordinis, et quia sine collatione potestatis non habetur signum sacramentale.

...

5. Rationes quibus hanc theoriam fulcire conantur, sunt imprimis hae:

1) *Modus agendi, quem ipse Christus Dominus adhibuit*. Apostolos suos Christus fecit sacerdotes, non eo quod eis tradidit corpus et sanguinem suum, sed dicendo: « *Hoc facite in meam commemorationem* » His verbis, modo externo et visibili, dedit eis potestatem ordinis sacerdotalis, cui collationi adnexam supponere debemus impressionem characteris et communicationem gratiae.

2) Sic clare et facile inter se componi possunt: ex una parte magna diversitas, quae in ritu ordinationis variis temporibus et in variis ecclesiis particularibus in decursu temporum observata est; et ex altera parte firma omnium fidelium persuasio: Christum Dominum non instituisse nisi unum sacramentum ordinis, illudque immutabile pro omnibus temporibus. Nam id, quod — non obstante tanta rituum diversitate — semper et ubique idem fuit, et idem esse omnibus semper fuit persuasum: est *ad extra manifestata collatio potestatis ordinis* (sive Diaconatus, sive Presbyteratus sive Episcopatus). Ergo supponendum est: Christum Dominum non nisi hoc elementum, (unum et identicum apud omnes ecclesias omnium temporum, omnium regionum) elegisse signum sacramentale, cui impressionem characteris et communicationem gratiae adnexuit.

3) Sic facile explicatur factum, quod saeculis praeterlapsis theologi primae notae, inter quos primum locum

tenet ipse S. Thomas, clare ritum substantialem sacramenti ordinis assignaverint traditionem instrumentorum, urgentes: per eam significari et perfici *collationem potestatis*. Admitti enim nequit: omnes hos theologos latuisse notissimos sacrae Scripturae textus necnon primorum saeculorum testimonia de manuum impositione, tamquam ritu principali ordinationis. Sufficit allegare S. Albertum Magnum, qui (in oppositione ad sententiam suo tempore longe communiorē) de impositione manuum scribit: « Et hic erat ritus consecrationis in primitiva Ecclesia ». — Accedit, quod indubitanter hi theologi tenuerint sententiam: Ecclesiam nihil posse circa materiam et formam ritus sacramentalis. Difficulter intellegitur, quomodo hi theologi ex una parte tenere potuerint: traditionem instrumentorum esse de substantia sacramenti ordinis; et ex altera parte censuerint: hanc materiam ordinationis esse a Christo institutam; sciverunt enim: in primitiva Ecclesia hunc ritum non fuisse in usu. Sed horum theologorum modus procedendi facile intellegitur, ubi primum supponitur: his theologis elementum principale in traditione instrumentorum, simili modo atque in manuum impositione (primorum saeculorum), non fuisse physicam illam actionem, sumptam secundum eius specificas et distinctivas qualitates physicas; sed externam collationem potestatis ordinis, quae per hanc actionem physicam visibili modo perficiebatur. Haec autem collatio semper eadem fuit primis temporibus et temporibus, quibus hi theologi vivebant.

Iuvat legere quae S. Thomas de materia Sacramenti Ordinis et de indole typica et distinctiva huius Sacramenti habet in IV Sent., dist. 24 q. 1 art. 1 quaestione 5 et ad 3: « Materia in sacramentis exterius adhibita significat virtutem, in sacramentis agentem, extrinseco omnino advenire. Unde cum effectus proprius huius sacramenti, scilicet character, non percipiatur ex aliqua operatione ipsius, qui ad sacramentum accedit, sicut erat in poenitentia, sed omnino ab extrinseco adveniat, competit ei: materiam habere;

tamen diversimode ab aliis sacramentis quae materiam habent: quia hoc quod confertur in aliis sacramentis, derivatur tantum a Deo, non a ministro qui sacramentum dispensat. Sed *illud quod in hoc sacramento traditur scilicet spiritualis potestas, derivatur etiam ab eo qui sacramentum dat, sicuti potestas imperfecta a perfecta*. Et ideo efficacia aliorum sacramentorum principaliter consistit in materia, quae virtutem divinam et significat, et continet et sanctificatione per ministrum adhibita. Sed *efficacia huius sacramenti principaliter residet penes eum qui sacramentum dispensat*. Materia autem adhibetur magis ad *demonstrandam* potestatem quae traditur particulariter ab habente eam complete, quam ad potestatem *causandam*. — Et ad tertium: Angelicus respondet: Potestatem ordinis accipi a ministro, non a materia; ideo in sacramento ordinis *porrectionem* instrumentorum (in qua secundum S. Thomam consistit materia sacramenti ordinis) esse magis necessariam, quam *acceptationem* instrumentorum per tactum eius qui suscipit sacramentum. Admittit tamen tactum instrumentorum esse necessarium sed ex alio capite, nempe ex verbis *formae*: « Accipe hoc vel illud ». Quoad *alia sacramenta* (Baptismum, Confirmationem, Extremam Unionem) concedit principium: in quolibet sacramento, habente materiam, requiri contactum, et quidem ob indolem et functionem quam habeat materia in iis sacramentis, prout in corpore articuli est expositum. — Ex hac S. Thomae sententiae expositione apparet: ipsum non tenere neque defendere theoriam, de qua hic agitur; sed iis quae in textu citato docet de *collatione potestatis ordinis* necnon de huius collationis causa proxima et proprie dicta, suppeditant argumenta, ad obiectum huius doctrinae accurate circumscribendum et aliquo modo firmandum.

4) Hac theoria supposita, obvia aliqua dari potest explicatio Decreti pro Armenis, in specie ratione habita discussionum, quae in sessionibus praeparatoriis huius Decreti a theologis catholicis tum cum Graecis tum cum

Armenis habitae sunt. Agentes cum Graecis theologi urgebant: in consecratione Eucharistiae transubstantiationem perfici solis verbis Christi, nulla alia oratione superaddita; et hoc probarunt: 1) ex eo, quod Ecclesia nihil valeat circa materiam et formam sacramentorum; 2) ex eo, quod sacramenta debeant esse eadem in tota Ecclesia, cum « unitas Ecclesiae necessario fundetur in unitate fidei et in unitate sacramentorum, in iis quae sunt de substantia sacramenti ». Ita Ioannes de Torquemada, O. P. in suo sermone ad Graecos coram Summo Pontifice, Eugenio IV; quam expositionem ipse Papa statim suis verbis confirmavit (Mansi 31-B, 1673-1674). Inter theologos eiusdem Commissionis praecipuos fuit etiam Ioannes de Montenero, qui maximam partem habuit in Decreto pro Armenis conficendo. Tunc omnes hi theologi nullam experti sunt difficultatem asserendi in Decreto pro Armenis: materiam sacramenti ordinis esse traditionem instrumentorum, quam sciebant a Graecis non observari. Neque tamen in hac diversitate ritus sacramentalis viderunt ullam unitatis ecclesiae negationem vel periculum, quam unitatem in discussionem cum Graecis dixerant: esse in unitate fidei et in unitate sacramentorum in iis quae sunt de substantia sacramenti. Si his theologis persuasum fuit: materiam et formam sacramenti ordinis ultimam esse in externa collatione potestatis ordinis, non autem in determinato aliquo externo modo quo haec collatio peragitur: revera neglegere potuerunt et notissimos textus sacrae Scripturae de manuum impositione et universalem praxim antiquitatis christianae; neglegere etiam potuerunt differentiam inter ritum Graecorum et ritum Armenorum atque Latinorum. Nam, illa suppositione facta, discrepantiae quae in his variis ritibus occurrunt, secundum ipsos tangebant solummodo elementum accidentale, non autem elementum substantiale signi sacramentalis. Hinc quieto animo relinquere potuerunt cuilibet temporari, loco, nationi, singulis ecclesiis particularibus suum quoad externam collationem

agendi modum (sive formali decreto sive sola via facti et consuetudinis introductum) dummodo legitima auctoritas ecclesiastica hunc modum approbaverit et suum fecerit, (isque modus fuerit aptus ad potestatis Ordinis collationem clare et determinate significandam). His Theologis ideo quoad sacramentum Ordinis valet principium, affine alteri, quod de sacramento matrimonii hodie ponitur, scilicet: nulla potest esse ad extra manifestata valida collatio potestatis Ordinis, a Christo institutae, quae non sit ipso facto sacramentum. Sicut relate ad matrimonium: nullus esse potest inter baptizatos validus contractus matrimonialis, ad extra manifestatus, qui non sit ipso facto sacramentum.

CONCLUSIO

6. Circa hanc nonnullorum recentium de materia et forma sacramenti Ordinis theoriam, concludendo haec dicenda videntur:

- 1) Nova Constitutio Apostolica nullo modo in hanc theoriam intrat, neque eius ullam rationem habet; eam ex toto silentio praeterit.
- 2) Haec theoria secundum alios affinis est theoriae de sacramentorum per Christum « institutione in genere »; immo quoad substantiam cum ea identificatur; secundum alios ab ea essentialiter differt. Si affinis est, et multo magis, si cum ea identificatur: iisdem difficultatibus et dubiis obnoxia est, quae contra hanc theoriam urgentur. — Si differt, differentia in eo est, quod — (prout supra in fine n. 3 Appendicis expositum est) — specificae et distinctivae qualitates externi modi, quo potestas Ordinis confertur, dicuntur manere extra vim significativam sacramentalis signi; contra elementum, quod Ecclesia ad complendam institutionem in genere » addit, in ipsum signum sacra-

mentale intrat, tamquam elementum vim significativam signi sacramentalis complens. Sed tunc oritur quaestio, num analysis et constructio, supra n. 3 data, rei veritati correspondeat et num sufficienter probata sit. Sed tota haec quaestio (utrum scilicet nova haec theoria coincidat cum theoria de institutione in genere, an ab ea essentialiter differat) missa fieri potest; nihil enim confert ad formandum et probandum iudicium de hac theoria, in se sumpta.

3) Haec theoria hodie nondum est sufficienter examinata et inter Theologos discussa; neque argumentis supra allatis redditur sufficienter certa. Ideo, saltem interim, dici nequit theoria theoretice et practice tuta.

4) Haec theoria ex altera parte cum iis, quae in nova Constitutione Apostolica sive «declarantur» sive «disponuntur», componi posse videtur. Nam etiam supposita hac theoria, modus externus collationis potestatis Ordinis seu ritus essentialis, (quibus sacramentum Ordinis confertur, et sine quibus nulla valida collatio Ordinis peragi potest) sunt hodie unice: impositio manuum et verba eam determinantia ad potestatem et gratiam Ordinis univoce significandam. Sunt iidem ritus, quibus iam tempore Apostolorum potestas et gratia Ordinis collata fuit, et quibus solis etiam hodie Ecclesia Ordinem conferre vult et confert. Theoria, de qua hic agitur, solummodo ulterius investigare intendit: quidnam in his ritibus essentialibus sit elementum ultimum et proprie constitutum signi sacramentalis, a Christo Domino instituti.

FRANCISCUS HÜRTH S. I.

SUMMARY

	<i>Pag.</i>
I. <i>Introductio</i> n. 1-2.	5
1. De unitate et immutabilitate Sacramentorum n. 1.	5
2. De ritibus essentialibus et non-essentialibus Ordinationum n. 2.	5
II. <i>Corpus Constitutionis</i> n. 3-6.	
1. Declarationes et dispositiones primariae n. 3-5.	6
a) Observatio historica de ritibus essentialibus n. 3.	6
b) Authentica declaratio et dispositio de materia et forma in genere n. 4.	6
c) Authentica declaratio et dispositio de ritibus essentialibus trium Ordinum in specie n. 5.	7
1°. De Ordinatione Diaconali n. 5.	7
2°. De Ordinatione Presbyterali n. 5.	7
3°. De Ordinatione Episcopali n. 5.	7
2. Declarationes et dispositiones secundariae seu complementariae n. 6.	8
a) De tactu physico aut morali in impositione manuum n. 6.	8
b) De integra Pontificalis Romani Liturgia servanda n. 6.	8
c) De negata vi retroactiva n. 6.	8
III. <i>Formula conclusiva</i> n. 6.	
1. De vi obligatoria Constitutionis n. 6.	8
2. De dispositionibus Constitutionis in Pontificali Romano conspicuis reddendis n. 6.	8
B. <i>Commentarius</i>	
I. <i>Introductio</i> n. 1-3.	
Nota historica de ansa novae Constitutionis n. 1-3.	9
II. <i>Corpus Commentarii</i> n. 4-32.	
1. De titulo Constitutionis n. 4.	11
2. De introductione Constitutionis n. 5-7.	12
3. De Corpore Constitutionis n. 8-32.	15